

Die 8 Ianuarii

## S. SEVERINI

Abbatis, Norici Apostoli  
Patroni secund. Eccl. Metrop. Vindobonensis

Duplex maius

Commune Conf. non Pontificis

In I Nocturno, si sumendæ  
sint de Communi, Lectiones  
Beatus vir, de eodem Com-  
muni 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Severinus tempore, quo  
S Attila, rex Hunnorum,  
defunctus est, ex Orientis  
partibus veniens, in Norici  
Ripensis et Pannoniæ  
confinio monasticæ vitæ  
institutum sanctissime coluit.  
Sensit eius opem tam  
in famis quam hostium  
periculo Favianæ civitas,  
ubi erecto extra muros  
monasterio multum est  
versatus: nec Passavienses  
beneficiorum eius ex-  
pertes fuere; apud quos,  
posita ad Boiodurum trans  
Oenum cella, cum paucis  
monachis aliquamdiu com-  
moratus est. Denique Se-  
verini apud Deum merita  
et orationum vis adeo in-

claruit, ut multa eum op-  
pida et civitates afflictis  
rebus supplices invitarent,  
confisæ, ut re probatum  
est, eius patrocinio ab in-  
festis hostium incursioni-  
bus et cladibus se tutas  
fore.

R. Honestum fecit illum  
Dominus, et custodivit  
eum ab inimicis, et a se-  
ductoribus tutavit illum:  
\* Et dedit illi claritatem  
æternam. V. Iustum de-  
duxit Dominus per vias  
rectas, et ostendit illi reg-  
num Dei. Et.

Lectio v

Multa Deo revelante  
occulta cognovit, mul-  
ta prophético spiritu fu-  
tura prædixit; impendē-  
tia mala pœnitentiæ ac  
pietatis operibus avērtēte  
exemplo et verbis docuit.  
Multis denique ad illum

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Vindobonæ, die 21 Novembris 1956

† JOSEPHUS STREIDT  
Eppus Macren. et Vic. gen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 27 Novembris 1956

J. BALDAUF  
Vic. gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet

Printed in Germany

Ad Propr. Vindobonen. P. Hiemalis

confugiéntibus ægritudínium étiam desperatárum sanitátem a Deo impetrávit. Corpus assídúis ieiúniis in servitútem rédigens, nullis quamvis frigidíssima hieme calceaméntis, nec álío strato, quam cílfcino supra paviméntum utebátur, veste, quam gestábat, numquam depósita. Precatióni rerúmque divinárum contemplatióni impénse déditus, ut libérior Deo vacáret, hóminum frequéntiam sæpe fugiens, remóta loca petívit: unde tamen divínitus ad aliórum utilitátem, quorum mira caritáte flagrábat, evocabátur. Neque tamen oblátum munus episcopátus ut suscéperet ullis addúci pótuit précibus.

**R.** Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradísi coronávit eum. **V.** Induit eum Dóminus lorícám fidei, et ornávit eum. **Et.**

### Lectio vi

**D**énique óbitus sui diem longe ante prásciens, cum tríduo láteris dolóre laboráret, nocte convocá-

tos ad ósculum fratres ad humilitátis, castitátis omnísq; sanctitátis stúdiúm adhortátus, Sacraménto Communiónis accépto, Crucis signo exténsa manu se múnies, cum Psalmus «Laudáte Dóminum in Sanctis eius», quem ipse inchoáverat, canerétur, sub illo versículo «Omnis spiritus laudet Dóminum», ante diem sextum Idus Ianuárii spíritum Deo réddidit. Sexénio post, Gothis, quod Severínus futúrum prædixerat, in Itáliam migrántibus beáti viri corpus, ut vivus monúerat, discipuli asportatúri, apérto sepúlcro, quod admirábilem odóris suavitátem exhalábat, plane íntegrum invenére. Quod multis cum miráculis in Itáliam delátum, atque in Luculláno honorífice primo cónditum, deínde Neápolim translátum est.

**R.** Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:

\* Quia te vidi iustum coram me ex ómnibus géntibus. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et

pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

**In III Nocturno Homilia in Evangelium** Ecce, nos reliquimus ómnia, **de Communi Abbatum.**

### AD LAUDES

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Bened. Ant.** Euge, serve bone \* et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

### Oratio C 4

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Severíni Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per Dóminum nostrum.

### IN VESPERIS

**V.** Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

**Ad Magnif. Ant.** Hic vir despiciens mundum \* et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.